ILLUSTRIS APUD GRIMAM MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCCVII ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. M. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

Dr. EDUARDUS WUNDERUS,

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS, ORDIN. SAXON. VIRT. CIV. EQUES.

Praemissa est

Eiusdem de Aeschyli Agamemnone Dissertatio critica et exegetica.

GRIMAE,

TYPIS CAROLI ROESSLERI.

MDCCCLVII.

Constantius fund

DE AESCHYLI AGAMEMNONE

DISSERTATIO CRITICA ET EXEGETICA.

In Aeschyli Agamemnone fabula et emendanda et explicanda quamquam non pauci viri eruditi etiam recentissima aetate egregie laborarunt, tamen tam multi loci etiamnunc reperiuntur, qui nec explanati recte nec emendati sint, ut non iam fabula illa commode in scholis legi a discipulis et intelligi possit. Multis autem de caussis cum una omnium dignissima sit, quae legatur in scholis, data hac opportunitate dissertationis scribendae facere mihi visus sum, quod non alienum esset a commodis scholarum, si ea cum viris doctis communicare inciperem, quae ad faciliorem intellectum fabulae illius conferre viderentur.

Qui diligenter tragicos Graecos legerit, eum non potest latere, cum ceteros tragicos, tum imprimis Aeschylum magna cum arte homines de plebe, quos in scenam produxit, ita loquentes fecisse, ut, quantum per maiestatem tragoediae liceret, eo uterentur sermone, qui plebis proprius solebat esse. Eiusmodi sermone etiam custodem, qui prologum Agamemnonis fabulae agit, usum videmus ita, ut et in verbis deligendis et in rebus describendis coniungendisque non tam viri docti accuratam diligentiam quam simplicitatem nativam hominis plebeii sequeretur. Quod quamquam certissimum est intellectumque iam a quibusdam interpretibus, tamen summam iniuriam faceremus Aeschylo, si quicquam aut

1*

inepti aut contorti a custode illo prolatum opinaremur. Cuius quidem culpae non omnino expertes mihi videntur esse, qui recentissima aetate hanc fabulam interpretati sunt, ita ut in aliquot locis prologi, quid Aeschylus dicere voluerit, nondum satis perspectum putem. Initium autem prologi, de quo primum disserendum videtur, hoc est:

Θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων
φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
στέγαις Ἀτρειδῶν ἄνεκαθεν, κυνὸς δίκην,
ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν
καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι).*
καὶ νῦν φυλάσσω λαμπάδος τὸ σύμβολον,
αὐγὴν πυρὸς φέρουσαν ἐκ Τροίας φάτιν
ἁλώσιμόν τε βάξιν· ὧδε γὰρ κρατεῖ
γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ.
εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω
εὐνήν, ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην,
ἐμήν· φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ·
ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ,
ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος,
κλάω τότ' οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων,
οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα διαπονουμένου.
νῦν δ' εὐτυχὴς γένοιτ' ἀπαλλαγὴ πόνων
εὐαγγέλου φανέντος ὀρφναίου πυρός.

Ante solis ortum coelo etiamtum obscuro cogitandus est excubitor, qui prologum agit, in tecto domus Agamemnonis recumbens haec proferre, et quidem, quod maxime tenendum est sed neglectum a recentissimis editoribus, in ipso initio anni decimi obsidionis Troiae. Cum enim Calchas ex augurio illo, de quo expositum ab Homero est Il. II, 299—330, vaticinatus esset, fore, ut per novem annos Graeci Troiam obsiderent, elapso autem anno nono expugnarent,

---

*) Post hunc versum in codicibus hic additus est: *ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν.* Quem quidem versum non esse ab Aeschylo scriptum, mihi quidem plurimis de causis certissimum videtur.

Aeschylus, cuius plurimum intererat, ut appareret, verissima esse auguria, quae tum Graecis data essent, certissimumque vatem Calchantem esse, ita rem cecidisse sumsit, ut in extremo fine anni noni Ilium excideretur. Idem ut ostenderet, illius aevi homines simplices et religiosos, quales cives Argivos excubitoremque existimari voluit, nihil dubitasse de veritate augurii illius, fecit eos in ipso initio anni decimi obsidionis Troiae illud certissime sperare, fore, ut iam excidium eius nuntiaretur, eamque spem eo ipso tempore etiam verbis efferre, quod eo magis consentaneum erat, quo vehementius optabant, ut quam primum bellum illud finiretur. Hinc quam aptum initium sit et prologi et parodi chori, facile patebit. Itaque homo ille, qui prologum agit, censendus est inde ab initio anni noni obsidionis Troiae a Clytaemnestra iussus esse facis signum illud observare, quo se Agamemnon Troiae expugnationem nuntiaturum esse promiserat, ita ut, quo tempore dixisse haec fingitur, per integrum annum excubias egerit.

His praemissis ut iam de singulis versibus loci adscripti, quos nondum recte intellectos ab interpretibus iudico, disseram, magnopere falli mihi videntur editores recentiores, qui v. 2 haec verba, *φρουρᾶς ἐτείας μῆκος,* appositionem putant esse verborum praecedentium, *τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων.* Ac primum quidem certum est, qui eam interpretationem probent, sic cum Schneidewino aliisque existimare debere, nomen *μῆκος* adiectivo *ἐτείας* ita esse additum, ut accusativus esset qui dicitur explicativus, veluti dici solet *πολλοὶ τὸ πλῆθος, ἑκατὸν τὸν ἀριθμόν.* Atqui ut nemo umquam accusativos *τὸ πλῆθος* et *τὸν ἀριθμόν* nominibus *πολλοί* et *ἑκατόν* addidisse iudicandus est, nisi eo consilio, ut de multitudine — non de alia re —, de numero potissimum agi significaret, ita perinepte poeta adiectivo *ἐτείας* nomen *μῆκος* addidisset, siquidem *ἐτεῖος* de nulla re nisi de spatio unius anni accipi potuit. Quod cum sapientiores editores intellexisse videantur, tamen quas ipsi huius incommodi removendi rationes inierunt, eas necessario reiiciendas duco. Ita quod Hermannus suspicatus est, voluisse Aeschylum longum annuae observationis spatium intelligi, ita ut accusativum *μῆκος* adiiceret intellecto tali verbo, quo significaretur in mente habeo, vel propter Graecorum loquendi consuetudinem probare nobis non licet. Non minus tamen a vero aberrarunt, qui auctore Valckenario *μῆκος* mutandum in *μῆχος* putarunt, id ut idem fere atque *ἀπαλλαγήν* significaret. Primum enim quis tandem

credat, Aeschylum, cum modo posuisset nomen *ἀπαλλαγήν*, vocabulum usitatissimum et maxime perspicuum, id quasi interpretaturum fuisse vocabulo longe minus usitato, quale *μῆκος* est? Nam si debuit, id quod opinantur editores recentiores, statim explicare verba illa, *τῶνδε πόνων*, nonne satis omnino erat, omisso vocabulo *μῆκος* tantum verba *φρουρᾶς ἐτείας* apposuisse? Atqui in eo ipso maxime errant et Schneidewinus et Hermannus et ii, qui Valckenarii coniecturam receperunt, quod, quae in initio v. 2 posita sunt verba, pro appositione verborum praecedentium esse iudicant. Etenim hoc potius maxime necesse esse intelliget, qui totius loci, quem adscripsi, sensum nexumque diligenter perspexerit, in ipso initio prologi, id est v. 1 et 2, certis verbis indicari tempus illud, per quod excubitor deos precatus sit, ut molestiis suis liberaretur. Quod quidem tempus si non indicatur, verbum *αἰτῶ* non potest non ad id tantum tempus referri, quo excubitor prologum agit, idque eo magis, si verba haec, *φρουρᾶς ἐτείας*, pro appositione verborum *τῶνδε πόνων* habentur; unius enim anni custodia eius fuerat. At si *αἰτῶ* ad illud tantum tempus spectat, tum primum inepta sunt v. 20 verba *νῦν δέ,* quae sic tantum recte se habere patet, si versibus praecedentibus alius, id est praeteriti temporis facta mentio est, cui tempus praesens opponatur; deinde vero inepta etiam *μέν* particula est, in primo versu posita. Ea enim ex usu linguae Graecae addi ab excubitore non potuit, quin in mente haberet aliquod membrum, quod ei opponeret, in quo *μέν* particulam posuerat*). Atqui nihil cogitari potest, quod ille iis verbis, quibus sermonem exorsus est, opponendum putarit, nisi quod v. 20 sqq. continetur, liberiore dicendi forma elatum. Haec autem ipsa, quae inter se opposita esse certum est, recte inter se opponi sic tantum potuerunt, si in exordio sermonis v. 2 verbis illis, *φρουρᾶς ἐτείας μῆκος,* accusativus temporis contineri significarique creditur, per

*) *Μέν* particulam cum constet non ad unum aliquod vocabulum, sed ad totum membrum spectare, falli Engerum patet, qui *θεοὺς μέν* ita interpretatus est: „die Götter, denn Klytämnestra befreit ihn nicht.“ Quam interpretationem quamquam recte reiiciendam esse intellexit Schneidewinus, tamen idem dupliciter erravit, quod et hic et v. 40 sqq. ea, quae opponi videantur debuisse, suppressa esse dixit. Nam ut hoc loco pluribus verbis interiectis ea ipsa protulit excubitor v. 20 sq., quae in mente habuit addere, cum v. 1 dicere coepit *θεοὺς μὲν αἰτῶ* etc., ita chorus, cum v. 40 dixit, *δέκατον μὲν ἔτος* etc., quod addere voluit, non omisit, sed liberius extulit v. 68 sq. *τελεῖται δ' ἐς τὸ πεπρωμένον* etc., ita ut hoc significaret: quamquam adest iam annus decimus obsidionis Troiae, necdum de fine belli quicquam cognovimus, tamen eius belli hunc fore eventum credimus, ut Troia deleatur Parisque flagitii sui poenas luat.

quod tempus excubitor deos orarit, ut se miseria sua expedirent, ita ut, quod minime Graecorum loquendi consuetudini adversatur, φρουρᾶς ἐτείας μῆκος idem sit atque μακρὸν χρόνον φρουρᾶς ἐτείας sive διὰ φρουρᾶς ἐτείας. Nunc enim demum omnia in ea parte prologi, quem adscripsi, recte et dicta et inter se nexa sunt hoc modo: deos quidem precor, ut me malis quibus premor liberent, per longitudinem custodiae annuae — ergo adhuc frustra — verum nunc opinor malis meis liberabor, scilicet postquam elapsus est annus nonus obsidionis Troiae. In his quae interposui verba, adhuc frustra, eo minus metuendum est, ne quis temere a me interposita putet, quo certius, qui per integrum annum se deos quotidie precatum esse ait, ut excubiarum onere exueretur, nullo eius anni die preces suas exauditas, ergo frustra se precatum esse deos ostendit. Addo statim illud, quod idem non perspectum ab interpretibus videtur, quae interiecta sunt inter v. 2 et v. 20, eorum summam nexumque hunc esse: quam (custodiam) adhuc egi, ita ut totius coeli sidera eorumque cursum cognorim, et etiamnunc ago (v. 8 καὶ νῦν φυλάσσω etc.) eo consilio, ut facis signum observem, quo Troiae excidium nuntiabitur. Misera est autem custodia; etenim dum excubo, etc. Optime enim poeta excubitorem illum, hominem de plebe, quantum fieri per maiestatem tragoediae licuit, suo more loquentem eaque, quae de longitudine, de consilio, de fructu, de molestia custodiae dicenda erant, alio ordine aliaque forma dicendi, ac vir doctus dixisset, proferentem introduxit.

Postremo si quis interpretationi meae versus primi et secundi hoc adversari opinatur, quod in verbis τῶνδε πόνων iure haereatur, nisi τῶνδε pronominis explicatio talis, qualis sit φρουρᾶς ἐτείας, addita sit, profecto magno in errore versatur, neque, quid potissimum poeta prologo consequi voluerit, perspectum habet, si hoc maxime existimat excubitori molestum accidisse, quod per integrum annum excubias egerit. Immo excubitor ipse, homo non effeminatus laborisve fugiens, claris certisque verbis v. 12—19 dicit, hoc se in agenda custodia gravissime tulisse, quod absente Agamemnone adeo miseram esse viderit rerum domesticarum conditionem — Clytaemnestrae cum Aegistho consuetudinem dicit — ut, quando canere vel lallare sibi libuerit pellendi somni caussa, semper prae dolore lacrimae obortae sint. Hinc idem propterea potissimum finitam custodiam nuntiato Ilii excidio esse summopere gaudet, quod iam pristinum rerum domestica-

rum statum reverso Agamemnone restitutum iri sperat, v. 32 sq.: *τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι, τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.*

V. 2 sqq.

ἦν κοιμώμενος
στέγαις Ἀτρειδῶν ἀνέκαθεν, κυνὸς δίκην,
ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν.

Non recte Schneidewinus in verbo *κοιμᾶσθαι* inesse oxymoron adnotavit his verbis: „In *φρουρὰν κοιμᾶσθαι* liegt ein drolliges Oxymoron, vgl. 12, da eigentlich *φρουρὰ φρουρεῖται.*" Ex quo apparet, sensu dormiendi ei *κοιμᾶσθαι* dici visum esse. Atqui nec licuit excubitori dormire, ut ipse dixit v. 13 sqq., nec dormienti potestas facta esset, quam his ipsis verbis sibi factam esse ait, siderum cognoscendorum. Verbum enim finitum, ex quo pendet participium *κοιμώμενος,* est *κάτοιδα.* Immo manifestum est, *κοιμᾶσθαι* non dormire hic, quae ne propria quidem significatio eius est, sed prostratum iacere significare, ita ut *κοιμῶμαι φρουράν* sit iacens custodiam ago, nobis ich liege Wache, ut recte licebit dicere ex analogia locutionis ich stehe Wache. Poterat enim ille vel stans vel iacens custodiam agere, quorum posterius vulgo non licebat iis, qui custodiam agebant. Itaque *φρουρὰν κοιμᾶσθαι,* simillime dictum atque *πόνους λατρεύειν, πόνους ἀλᾶσθαι,* de qua dicendi forma exposui in Censura Aiacis a Lobeckio iterum edit. p. 84 sq., hoc proprie significat: *φρουροῦν* sive *φρουρικὸν κοίμημα κοιμᾶσθαι.* Eiusdem generis est quod dixit Aeschylus v. 280 *τάχος ἐξικνεῖσθαι,* sic explicandum, *ὁδὸν ταχεῖαν ἐξικνεῖσθαι,* einen schnellen Gang gehen.

V. 12—19.

εὖτ' ἂν δὲ νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ' ἔχω
εὐνήν, ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην,
ἐμήν· φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ·
ὅταν δ' ἀείδειν ἢ μινύρεσθαι δοκῶ,
ὕπνου τόδ' ἀντίμολπον ἐντέμνων ἄκος,
κλάω τότ' οἴκου τοῦδε συμφορὰν στένων,
οὐχ ὡς τὰ πρόσθ' ἄριστα διαπονουμένου.

Mirum est de huius loci structura iudicium Bambergeri, qui Opusc. Philol. p. 56 haec protulit: „Post ὕπνῳ aposiopeseos signum ponendum, quia apodosis omissa est. Noli enim de artificiosa constructione cogitare, quam Wellauerus proposuit, qua admissa excubitor longe aliud dicit atque in mente habet. Luget ille miseram suam conditionem, quod pro somno insomnia, pro cantu, quo in excubiis et vigiliis tempus fallere solebat, lamentatio de domus Agamemnoniae miseria et gemitus sibi contingant. Quam igitur in mente habet, apodosis haec est: quando lectum meum teneo, insomniis agor; quam omittit, quia eandem sententiam iam protasi intulit, unde, ne eadem repetat, orationem abrumpit.“ Eum secutus Schneidewinus ita haec interpretatus est: „Liege ich auf meinem Lager, kann ich vor Angst die Augen nicht zuthun; will ich mich mit heiterm Gesang gegen den Schlaf schützen, gerathe ich in Klagen über die jetzige Wirthschaft im Hause, welches vordem so wohl verwaltet ward.“ At ut taceam, id si voluisset dicere excubitor, etiam iis verbis dicere eum debuisse, quae in eam sententiam interpretari Atheniensibus liceret, id quod non licuit, non potuit profecto in mente habere, eiusmodi apodosin membro illi, *εὖτ' ἂν — ἐπισκοπουμένην*, addere, qualem eum addere voluisse Schneidewinus putat, propterea, quod ita significásset, recte se facturum fuisse, si oculos clausisset, sed metu se prohibitum esse, quominus clauderet. Atqui ea condicione excubias agere iussus erat, ut noctu vigilaret vigilansque signum facis, si quod daretur, animadverteret, ita ut risus esset a spectatoribus, si hoc doluisset, quod prae metu oculos claudere non potuisset. Immo manifestum est, totius loci, quem adscripsi, unam esse apodosin, quae contineatur his verbis, *κλάω τότ' οἶκον — διαπονουμένου.* Item diligenter si rem spectamus, unam esse protasin patet eamque hanc: *εὖτ' ἂν — ἐντέμνων ἄκος,* duobus constans membris, quorum posterius, *ὅταν δ' ἀείδειν — ἐντέμνων ἄκος,* si accuratissime loqui excubitor voluisset, subordinatum debebat priori esse, siquidem eo, quid per illud tempus, quo excubuerit, faciendum putarit, exponit. Summa enim eorum, quae dicit, haec est: quo vero tempore insomnis excubias ago, quando canere lubet, semper deploro etc. Ergo *δέ* particula post *ὅταν* posita non oppositioni inservit, sed, quo sensu saepe eam usurpari constat, resumendae orationi, parenthesi interruptae, ita ut sit *ὅταν δέ* quando igitur scilicet per illud tempus, quo sub dio pernocto. Ac nunc quidem digna persona

sua protulit excubitor. Narrat simpliciter, durum se noctu habuisse cubile, numquam se dormisse, metu somnum pellente, et dolet tantum, quod non laeto cantu tempus fallere sibi licuerit, sed semper obortis lacrimis rerum domesticarum condicionem miseram deplorarit. — Ceterum ne quis haereat in eo, quod coniunctivus addita ἂν particula hic positus est, ubi de tempore praeterito agi videtur, monendum est, excubitorem, quae hic narret, non modo ut praeterita, verum etiam ut instantia vel futura accipi a spectatoribus voluisse.

Quod legitur adiectivum in v. 12, νυκτίπλαγκτος, id, quod sciam, nemo aut editorum aut lexicographorum recentiorum recte interpretatus est. Schuetzius explicat εὐνὴν νυκτίπλαγκτον sic: cubile, ubi quis non dormiat, sed potius discurrat, ein unstätes Nachtlager; Blomfieldius: quod noctu excitat vel errare facit; Wellauerus in lexico Aeschyleo: nocturnos errores ciens; Schneidewinus: des Nachts aufscheuchend. Longius etiam a vero aberrarunt novissimi editores lexici Passoviani, qui Νυκτίπλαγκτος, inquiunt, mit nächtlichem Umherirren verbunden, Aesch. Choeph. 524. Agam. 330; τὸ νυκτίπλαγκτον, das nächtliche Umherschweifen, id. Choeph. 751; b) nachtumstürmt, von nächtlichen Stürmen umtobt; εὐνή, id. Agam. 12, wie ἁλίπλαγκτος meerumtost; doch kann es auch bedeuten: das Lager, auf dem man die Nacht unruhig zubringt. At liquet, quam secundam putarunt esse editores lex. Pass. significationem, tum tantum vocabulum illud habere posse, si scribatur νυκτίπλακτος, ut iure in Sophoclis Aiace v. 596 ἁλίπλακτος pro eo, quod in plerisque codicibus legitur, ἁλίπλαγκτος ii scripserunt, qui idem a Sophocle ibi de Salamine dictum esse censuerunt, quod Aeschylus Pers. 307 visus est dixisse, θαλασσόπληκτον νῆσον Αἴαντος πολεῖ. At quae forma dorica in carmine melico recte usurpari potuit a Sophocle, ei locus profecto non conceditur in trimetro iambico. Debebat ergo certe νυκτίπληκτον scriptum esse in codicibus Aeschyli, ut posset reddi meerumstürmt. At id ut in nullo codice scriptum legitur, ita iure ne dictum quidem a quoquam Graecorum videtur. Quod autem legitur in codicibus omnibus, νυκτίπλαγκτον, quid significare debeat, facile intelliget, qui cum huius aliorumque similiter compositorum adiectivorum usum poeticum cognorit, tum quid potissimum hoc loco dici a poeta debuerit, diligenter secum reputarit. Necesse est autem, νυκτίπλαγκτος, ut ex nomine νύξ et verbo πλάζεσθαι compositum, proprie

significaverit noctu **vagantem** sive **noctivagum**. Verum ut alia multa adiectiva, ex eodem nomine et verbo motus composita, cum ab aliis poetis tum imprimis a tragicis, sensim ita usurpata sunt, ut nihil significarent nisi *νύκτερος*, cuius generis praeter alia sunt *νυκτίφοιτος*, *νυκτιπόλος*, *νυκτίφαντος*, ita Aeschylus, qui sonantibus verbis mallet quam exilibus uti, plus semel *νυκτίπλαγκτος* eodem significatu quo *νύκτερος* usurpavit. Ac proprium quidem, quem dixi, significatum habet *νυκτίπλαγκτος* Choeph. v. 524:

οἶδ', ὦ τέκνον, παρῆ γάρ· ἔκ τ' ὀνειράτων
καὶ νυκτιπλάγκτων δειμάτων πεπαλμένη
χοὰς ἔπεμψε τάσδε δύσθεος γυνή.

Adverte autem, eandem rem narratam a Sophocle ita esse, ut pro *νυκτίπλαγκτος* usurparet nomen *νύκτερος*, Electr. v. 410:

ἐκ δείματός του νυκτέρου, δοκεῖν ἐμοί.

Similiter ipse Aeschylus *ὀνείρατα* eodem sensu et *νυκτίφαντα* dixit et *νύκτερα*, Prom. 657:

ἕς τε δὴ πατρὶ
ἔτλην γεγωνεῖν νυκτίφαντ' ὀνείρατα.

et Pers. v. 176:

πολλοῖς μὲν ἀεὶ νυκτέροις ὀνείρασι
ξύνειμι.

Pariter Euripides *νυκτιπόλος* ita usurpavit, ut nunc **noctu circumvagans**, nunc nihil esset nisi **nocturnus**, Ion. v. 718:

ἵνα Βάκχιος ἀμφιπύρους ἀνέχων
πεύκας λαιψηρὰ πηδᾷ νυκτιπόλοις ἅμα σὺν Βάκχαις.

et eadem in fabula v. 1049:

εἰνοδία θύγατερ Δάματρος, ἃ τῶν
νυκτιπόλων ἐφόδων ἀνάσσεις
καὶ μεθαμερίων.

Item *νυκτίπλαγκτος* patet apud Aeschylum nihil significare nisi **nocturnum** primum Agam. 330:

τοὺς δ' αὖτε νυκτίπλαγκτος ἐκ μάχης πόνος
νήστεις πρὸς ἀρίστοισιν, ὧν ἔχει πόλις,
τάσσει, πρὸς οὐδὲν ἐν μέρει τεκμήριον.

quo in loco certum est, *νυκτίπλαγκτον ἐκ μάχης πόνον* esse nocturnum ex pugna ortum laborem, sive nocturnum pugnae laborem; deinde Choeph. 751:

καὶ νυκτιπλάγκτων ὀρθίων κελευσμάτων,

ad quem locum vide quae bene adnotavit Hermannus, recte *νυκτίπλαγκτα κελεύσματα* interpretatus nocturnos vagitus.

Ita denique in eo, de quo nunc potissimum agitur, v. 12 eiusdem fabulae *εὐνὴ νυκτίπλαγκτος* nihil est nisi cubile nocturnum, ita ut *εὖτ᾽ ἂν νυκτίπλαγκτον ἔνδροσόν τ᾽ ἔχω εὐνήν* hoc sensu dictum sit: quando noctu cubile roscidum occupo.

In versu 14, *ἐμήν· φόβος γὰρ ἀνθ᾽ ὕπνου παραστατεῖ,* quamquam illud post alios verissime monuit Hermannus, pronomen *ἐμήν* ab Aeschylo addi non potuisse, tamen quod ipse substituit, *τί μήν;* mihi quidem non satis huic loco convenire videtur. Immo ego sic existimo, *ἐμήν* pronomen a grammatico quodam additum esse, ut salvum metrum versus trimetri esset, cum librarii incuria excidisset aliquod vocabulum, quod et excidere facile ante praepositionem *ἀντί* potuit et sensui aptissimum erat, ita ut Aeschylum sic scripsisse coniiciam:

φόβος γὰρ αἰὲν ἀνθ᾽ ὕπνου παραστατεῖ.

Postremo non assentiendum puto Schneidewino, qui ad v. 19 *διαπονεῖν*, inquit, administrare, seltne Bedeutung, vgl. Polyb. 4, 45, 7 *διαπονεῖν τὴν χώραν,* colere terram. Immo usitatissimo significatu *διαπονεῖν τι* hic dictum est, ut esset laborare in aliqua re, sive diligenter exercere aliquam rem, quemadmodum a Platone, Xenophonte aliisque scriptoribus *διαπονεῖν ἔργα, τέχνας,* aliaque similia dictum est. Illud tantum notandum erat, nomine *οἴκου* significari hic non tam domum ipsam quam res domesticas vel negotia domestica. Ea vero iure negatur Clytaemnestra diligenter exsecuta esse, quod *οὐ τὰ ἑαυτῆς ἔπραττε,* ergo quod domi se non continuerit nec pudicitiam coluerit, sed indignam cum Aegistho consuetudinem habuerit.

V. 31 sq.

τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.

Miror Schneidewinum, qui haec ita interpretatus est: „denn das meiner Herrschaft zugefallene Glück will ich mir gehörig zu Gute kommen lassen, da diese meine Feuerwacht den besten Wurf gethan hat.“ Immo qui et verba graeca et sensum totius loci nexumque diligenter adverterit, non dubitabit, quin hoc dixerit custos: faciam enim, ut secundae sint res dominorum, postquam mihi contigit, ut rebus maxime secundis utar, finito excubiarum onere. Festive enim id se facturum ait, quod fieri dicendum erat excidio Ilii ab ipso tantum nuntiato. Ceterum Schuetzius nomine *δεσποτῶν* solum Agamemnonem, Engerus solam Clytaemnestram significari censet. Rectius et Agamemnonem et Clytaemnestram significari putabis. Utriusque enim res iure videri poterant custodi secundae fore reditu Agamemnonis dissolutaque nefaria consuetudine, quam Clytaemnestra cum Aegistho habebat.

V. 40—59.

δέκατον μὲν ἔτος τόδ᾽, ἐπεὶ Πριάμου
μέγας ἀντίδικος,
Μενέλαος ἄναξ ἠδ᾽ Ἀγαμέμνων,
διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου
τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδῶν,
στόλον Ἀργείων χιλιοναύταν
τῆσδ᾽ ἀπὸ χώρας
ἦραν, στρατιῶτιν ἀρωγήν,
μέγαν ἐκ θυμοῦ κλάζοντες Ἄρη
τρόπον αἰγυπιῶν,
οἵτ᾽ ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων
ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται
πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι,
δεμνιοτήρη
πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες.
ὕπατος δ᾽ ἀΐων ἤ τις Ἀπόλλων
ἢ Πὰν ἢ Ζεὺς οἰωνόθροον
γόον ὀξυβόαν τῶνδε μετοίκων
ὑστερόποινον
πέμπει παραβᾶσιν Ἐρινύν.

Adscripsi etiam de quibus non sum dicturus v. 40—55 propterea, quod arctissime cohaerent cum eo loco, quem vulgo nec scriptum recte nec explanatum puto. Adnotavit Hermannus ad v. 57: „A Turnebo virgula post *μετοίκων* posita, ut iungerentur *οἰωνόθροον γόον ὀξυβόαν τῶνδε μετοίκων*. Ita construxisse videtur scholiastes Sophoclis ad Oed. Col. 934: *μετοίκους δὲ καλοῦμεν τοὺς ἀπὸ ἑτέρας χώρας οἰκοῦντας πρὸς τοὺς μετοικισθέντας ποθέν· τοῦτο δὲ ἔνοικον. κέχρηται δὲ καὶ Αἰσχύλος ἐπὶ τῶν οἰωνῶν ἐν Ἀγαμέμνονι λέγων οὕτω, τῶνδε μετοίκων, ἀντὶ τοῦ ἐνοίκων· μετοίκους γὰρ εἶπε τῶν ὑψηλῶν τόπων τοὺς οἰωνοὺς κἀκεῖσε ἀντὶ τῶν ἐνοίκων.* Sic haec ex codice edidit Elmsleius. Eadem fere Suidas habet. Aliter paullo scholiorum editio Romana, aliter rursum Brunckiana, non tamen ut emendatus sit locus. Si *τῶνδε μετοίκων* iungitur cum superioribus, luctus ob amatos pullos est intelligendus. At ita *τῶνδε* inutile est, quoniam aut *τῶν μετοίκων* aut *μετοίκων* ponendum erat. Pauwium, qui verba illa ad sequentia referri iussit, secuti sunt recentiores editores. Scholiastes quo rettulerit, non liquet, qui scribat *ὑπὲρ τῶν μετοικισθέντων νεοσσῶν*. *Παραβᾶσιν*, quod non potest de raptoribus pullorum anguibus dictum esse, aperte refertur ad Troianos, qui Helenam rapuerint violato iure hospitii. Eodem modo ad hanc rem, non ad pullos, respexit poeta, cum paullo ante Iovem commemoravit. Itaque etiam *μετοίκων* de Helena dictum est, ut omnino ineptum sit *τῶνδε*. Scripsi *τῶν δὲ μετοίκων*, ut ad *ὕπατος δ' ἀΐων* intelligeretur verbum substantivum. Dubitari autem potest, an post *ὀξυβόαν* exciderit hemistichium, hac sententia, *μέγα θυμοῦται*. Idque confirmatur fortasse eo quod in codice M. ceterisque antiquis libris versus ita distincti sunt, *γόον ὀξυβόαν | τῶνδε μετοίκων ὑστερόποινον*."

At primum certum est, nullo pacto *ἀΐων* pro *ἀΐει*, quae Hermanni sententia est, dicere Aeschylum potuisse, id quod ipse videtur sensisse Hermannus, ita ut hemistichium excidisse in eoque positum verbum finitum esse suspicaretur. Ergo hoc quidem dubitari nequit, quin unum sit huius loci verbum finitum, *πέμπει*, cui additum sit participium, *ἀΐων*, participii sensu positum, nulloque pacto *ὅδε* pronomen ex hoc loco exturbandum sit. Nihilominus hoc quidem manifestum est, nomini *μετοίκων*, id quod recte vidit Hermannus, non potuisse adiungi *τῶνδε* pronomen. Unde quid certius concludi potest, quam lenissima mutatione scribendum esse:

γόον ὀξυβόαν τόνδε μετοίκων
ὑστερόποινον etc.

Itaque *ἄϊων — οἰωνόθροον γόον ὀξυβόαν τόνδε μετοίκων* hoc sensu dictum est: audiens acutum hunc clamorem inquilinarum avium, i. e. vulturum, quibus pulli erepti sunt. Dicuntur enim vultures *μέτοικοι τοῦ οὐρανοῦ* (vocabulo enim *ὕπατος* subesse coeli notionem patet), inquilini coeli, quod in aethere potissimum versantur et similiter in tutela deorum putantur esse atque homines in tutela sint eius civitatis, cuius *μέτοικοι* esse dicuntur. Cfr. Soph. Oed. Col. 934 *εἰ μὴ μέτοικος τῆσδε τῆς χώρας θέλεις εἶναι βίᾳ τε κοὐχ ἑκών* et de hoc significatu vocabuli *μέτοικος* Valcken. ad Ammon. p. 110 et Wolf. ad Demosthen. Lept. p. LXVII sqq. Deinde recte quidem admonuit Hermannus, *παραβᾶσιν* non ad bestias, quae pullos abstulerint, sed ad homines referri debere, at, quod ipse censuit, ad Troianos id spectare, qui Helenam rapuerint violato iure hospitii, probari non posse, inde apparet, quod poeta, cum v. 60 sic pergat, *οὕτω δ' Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει* etc., luculenter ostendit, se verbis proxime praecedentibus, v. 50—59 *οἵτ' ἐκπατίοις — Ἐρινύν*, de solis vulturibus locutum esse. Itaque patet, *παραβάντες* dici homines illos, qui vultures pullis spoliarint, *ἀγρότας* dictos ab Homero Od. XVI, 216 sq.: *κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτερον ἤ τ' οἰωνοί, φῆναι ἢ αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, οἷσίτε τέκνα ἀγρόται ἐξείλοντο, πάρος πετεηνὰ γενέσθαι.*

V. 104 sq.

κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν
ἐντελέων.

Iure se posse cum chorus dicit commemorare *ὅδιον κράτος* etc., hoc videtur significare, suis ipsius oculis se vidisse *ὅδιον κράτος* etc. Deinde his verbis, *ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν ἐντελέων* non significatur, quod Schuetzius putavit, faustum principum ad bellum proficiscentium robur, neque, quod Franzius, faustum iter principum fausto omine affectorum, sed, id quod tenuisse multum profecto refert, fausta potestas ominis viatici ducum, id est fausta illa (victoriam portendens) potestas sive vis ominis ante ipsum discessum ducibus oblati. Quod enim supra dixit chorus v. 60 sq., a Iove missos Atridas esse adversus Paridem, id ipsum nunc explicat ita, ut augurio illo, de quo loquitur, aquilis illis, quae in excelso monte apparuerint exercitui profecturo, significatam esse voluntatem illam Iovis dicat, Atridas iure bellum inferre Paridi ostendentis.

V. 160—166.

Ζεύς, ὅστις ποτ᾽ ἐστίν, εἰ τόδ᾽ αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ,
τοῦτό νιν προσεννέπω.
οὐκ ἔχω προσεικάσαι πάντ᾽ ἐπισταθμώμενος
πλὴν Διός, εἰ τὸ μάταν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος
χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως.

Quo magis appareat, verá esse, quae de hoc loco proferenda puto, necessario de summa eorum, quae chorus v. 40—256 expromsit, non satis intellecta ab editoribus, primum exponendum est. Primum chorus v. 40—67 paucis narrat, quando, a quo, quam ob caussam, quo deo auctore bellum Troianum susceptum sit; tum v. 67—82 addit, qui sit exspectandus belli exitus et cur ipse bello non interfuerit. Deinde postquam frustra appellavit Clytaemnestram, ut diceret, quae caussa esset sacrorum cum per totam urbem tum ad domum regiam accensorum, suspensumque se inter spem metumque esse dixit v. 83—103, melico carmine inde a v. 104 incipit explicare, cur inter spem metumque suspensus sit. Quod ita facit, ut primum commemoret augurium, quod ipse viderit, in discessu exercitui oblatum, eiusque interpretationem Calchantis. Apparuisse enim duas aquilas, in excelso monte sedentes et gravidam leporem una cum foetu devorantes. Quod augurium ita esse interpretatum Calchantem, ut Troiam quidem expugnatum penitusque deletum iri vaticinaretur, verum magnopere metueret, ne qui deleturi essent, in ipsa expeditione Dianae, deae sanctissimae, iram experirentur. Succensere enim eam aquilis illis, quae gravidam leporem devorarint*), quod istiusmodi epulas (tantam crudelitatem) perhorrescat. Itaque fore, ut, quominus in Troadem traiiciant, gravissima impedimenta mittat, ita ut, si Atridae epulis illis excidii Ilii pasci velint, Dianae quidem antea eiusmodi epulas offerre debeant, quibus oblatis tanta in domo ipsorum excitetur discordia, ut

---

*) Scribitur vulgo v. 135 sq.: *οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ πτανοῖσιν κυσὶ πατρὸς αὐτότοκον πρὸ λόχου μογερὰν πτάκα θυομένοισι· στυγεῖ δὲ δεῖπνον αἰετῶν.* At cum certissimum sit intellectumque a sapientissimis quibusque editoribus, dici hic Dianam debere succensuisse aquilis illis, quae leporem una cum foetu devorarint, minime vero domui Atridarum vel potius Agamemnonis, necessario sequitur, non posse *οἴκῳ* ab Aeschylo scriptum esse. Pro quo qui *οἶκοι* scripserunt, substituisse mihi aliquid videntur, quod non magis quam *οἴκῳ* tolerandum est. Neque enim extra domum non succensuisse aquilis illis cogitari dea illa potest; immo simpliciter dicenda erat aquilis illis succensuisse. Itaque verissime videtur Scaliger *οἴκτῳ* restituisse.

nihil uxor maritum revereatur*). Ex hoc Calchantis vaticinio cum metuendum esset, ne, siquidem verus ille vates erat, domus Agamemnonis summis malis vexaretur adeoque funditus exstirparetur, chorus ita pergit canere, ut, antequam ea exponat, quae iam evenerant secundum illius vaticinium, unde verissimum eum vatem esse apparebat, primum demonstret, unde tantis imminentibus malis aliquid auxilii sperari possit. Iovem enim, cuius nomen non sine summa verecundia effert, deum non crudelem esse, qui homines perdere aveat, sed sapientissimum ait idque agere, ut eos, a quibus toto animo colatur, ad sapientiam perducat, et, si quando peccarint, eo consilio malis afficiat, ut meliorem mentem induant. Ex his quod concludi poterat, fore, ut etiam Agamemnon, si toto animo Iovem coleret, ex malis illis, quae exspectanda erant, saperet, id non iam persequitur chorus, sed hoc unum narrat, nec sine summo dolore et indignatione, tantum eum commisisse nefas, quod Aulide pro exercitu suam ipsius filiam crudelissime mactandam putarit, ut, siquidem verissimum sit Calchantis vaticinium, fieri non possit, quin Iustitiae deae poenas flagitii solvat. Quas etsi eo consilio solvi addit, ut homines sapere discant, tamen perhorrescit, quae proxime eventura sint mala, ita finiens carmen, ut id evenire optet, quod, quae modo accessit, Clytaemnestra, evenire velit, — nihil suspicans, ita crudelissimum interitum Agamemnonis se optare**).

His praemissis dicendum de sensu v. 160—166, quos non videtur quisquam editorum recte omnino interpretatus esse. Ac primum quidem in eo valde errasse editores puto, quod his verbis:

Ζεύς, ὅστις ποτ᾽ ἐστίν, εἰ τόδ᾽ αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ,
τοῦτό νιν προςεννέπω

integrum contineri membrum existimarunt. Quod si esset, nihil diceret chorus

---

*) In ipso discessu secundum Aeschyli sententiam — longe aliter Sophocles statuit — ambiguum poterat videri Atridis, quid facerent; hortari enim ad bellum suscipiendum videbatur Ius, dehortari Aequitas; nihil ambiguitatis debebat esse Aulide; illic enim tantum deterrebantur. Deterrere enim Diana Agamemnonem a bello Troiano voluit eo, quod filiam eius sibi mactari postulavit.

**) Non potest profecto dubitari, quin versus extremi stasimi primi sic scripti sint a poeta:

τορὸν γὰρ ἥξει ξύναρθρον ἄταις.
πέλοιτο δ᾽ οὖν τἀπὶ τούτοισιν, ὡς Ἀπίας
θέλει τόδ᾽ ἄγχιστα γαίας μονόφρουρον ἕρκος.

Egregie enim H. L. Ahrensius cum alia hic emendavit, tum glossam esse vidit nomen *εὔπραξις*, vulgo post *τούτοισιν* additum.

nisi hoc: Iovem, quicumque tandem est, si ita ei iucundum est appellari, Iovis eum nomine appello. Quod tum tantum chorus commode dicere potuisset, si ea de re antea quaesitum esset, quo potissimum nomine is, qui vulgo *Ζεύς* dicebatur, recte appellaretur, aliisque aliter sentientibus chorus rogatus esset, quo ipse eum nomine appellandum putaret. Cuiusmodi sententia ut alienissima ab hoc loco est, ita illud certum, eo consilio Iovem debuisse a choro hic commemorari, ut de eo aliquid praedicaret, quod ad maiestatem vel potentiam eius spectaret, ergo verbum finitum, quod ad *Ζεύς* pertineat, neque *ἐστίν* neque *προςεννέπω* esse posse, sed quaerendum esse in verbis sequentibus, *οὐκ ἔχω προςεικάσαι* etc. Atque hoc ita esse, editores, si diligentius haec verba inspexissent, vel ex eo intelligere debebant, quod, si integrum membrum efficere verba haec, *οὐκ ἔχω προςεικάσαι πάντ' ἐπισταθμώμενος — ἐτητύμως,* putantur, contra morem Graecorum neque ullo vinculo connexa sunt cum praecedentibus verbis et omissum est, quod omitti non licuit, obiectum personae quod dicitur verbi *προςεικάσαι.* Accedit, quod, qui utriusque membri sensum adverterit, ne intelligi quidem ullam particulam posse concedet, neque copulativam neque adversativam neque explicativam. Quae cum ita sint, nemo iam dubitabit, quin commate post *προςεννέπω* posito verbum finitum, quod referendum ad nomen *Ζεύς* sit, his verbis contineatur, *οὐκ ἔχω προςεικάσαι,* ita ut horum verborum:

Ζεύς, ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ,
τοῦτό νιν προςεννέπω,
οὐκ ἔχω προςεικάσαι πάντ' ἐπισταθμώμενος
πλὴν Διός,

sensus hic sit: Iovi (quicumque enim est, si ita ei iucundum, hoc eum nomine appello) non possum quicquam comparare omnia perpendens praeter Iovem. Patet, accusativum obiecti, quem addidi, ad verbum *προςεικάσαι* necessario adsumendum, contineri verbis *πάντα ἐπισταθμώμενος,* item, ut saepe fit, neutrum genus pronominis pro masculino positum esse, ita ut di significentur. Neque haerendum est ullo modo in nominativo absoluto *Ζεύς,* in quo eo minus est offensionis, cum verborum illorum, *οὐκ ἔχω προςεικάσαι — πλὴν Διός,* haec potissimum sententia sit: incomparabilis est, nobis hat seines Gleichen nicht. Simillima huius anacoluthi sive nominativi absoluti exempla multa attulit Matthiaeus Gr. Gr. §. 311 et 562. Quibus addo Aesch. Sept. c. Th. 681 sq.:

ἀνδροῖν δ' ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτοκτόνος, οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος. Xenoph. Cyrop. I, 6, 16 *τὸ γὰρ ἀρχὴν μὴ κάμνειν τὸ στράτευμα, τούτου σοι δεῖ μέλειν.* ibid. §. 20 *τό γε μὴν πειθομένους παρέχεσθαι τοὺς στρατιώτας, οὐκ ἀπείρως μοι δοκῶ αὐτοῦ ἔχειν.* Denique certum est, veteres et Graecos et Romanos, si quem deum appellarent, cuius plura essent nomina, ne qua ratione numen eius offenderetur, si non illo nomine appellatus esset, quod ipsi esset gratissimum, quo vehementius eius maiestatem celebrare vellent, id quod voluisse hic chorum apparet, eo magis addita istiusmodi formula, qua usus hic chorus est, *ὅςτις — προςεννέπω*, hoc significare consuevisse, velle se ea uti appellatione, quae ipsi deo gratissima esset. Cfr. Platon. Cratyl. p. 400 E.: *δεύτερος δ' αὖ τρόπος ὀρθότητος, ὥςπερ ἐν ταῖς εὐχαῖς νόμος ἐστὶν ἡμῖν εὔχεσθαι, οἵτινές τε καὶ ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζόμενοι, ταῦτα καὶ ἡμᾶς αὐτοὺς καλεῖν, ὡς ἄλλο μηδὲν εἰδότας· καλῶς γὰρ δὴ ἔμοιγε δοκεῖ νενομίσθαι.* Idem Phileb. p. 12 C.: *τὸ δ' ἐμὸν δέος ἀεὶ πρὸς τὰ τῶν θεῶν ὀνόματα οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ πέρα τοῦ μεγίστου φόβου. καὶ νῦν τὴν μὲν Ἀφροδίτην, ὅπῃ ἐκείνῃ φίλον, ταύτῃ προςαγορεύω.* Eurip. Troad. 884 sq.: *ὦ γῆς ὄχημα κἀπὶ γῆς ἔχων ἕδραν, ὅςτις ποτ' εἶ σύ, δυςτόπαστος εἰδέναι, Ζεύς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεος, εἴτε νοῦς βροτῶν, προςευξάμην σε.* Horat. carm. saec. v. 15. Rite maturos aperire partus lenis, Ilithyia, tuere matres, sive tu Lucina probas vocari seu Genitalis. Item pontifices Romani secundum Servium ad Verg. Aen. IV, 577 precari solebant: Iuppiter omnipotens vel quo alio nomine appellari volueris.

Postremo illud per se quisque intelliget, non licere per usum verbi *προςεικάζειν* haec verba, *οὐκ ἔχω προςεικάσαι πάντ' ἐπισταθμώμενος πλὴν Διός*, ita explicare, quemadmodum explicavit Bambergerus Opusc. Philol. p. 41: omnia perpendens non possum excogitare praeter Iovem scil. arbitrum, an etc., et, qui eum secutus est, Schneidewinus: „denn keiner ausser ihm kann entscheiden, ob ich" etc.

Accedimus ad verba, quae sequuntur, *εἰ τὸ μάταν ἀπὸ φροντίδος ἄχθος χρὴ βαλεῖν ἐτητύμως*, quae quidem nondum recte aut scripta aut explicata credo. Vulgo autem ita interpretantur, ut *ἀπό* cum *βαλεῖν* iungant et ceteris verbis, *τὸ μάταν φροντίδος ἄχθος*, significari putent inanem chori curam sive sollicitudinem de futura Agamemnonis calamitate. At istiusmodi sententiam hic proferri a choro non potuisse, certissimum est. Ut enim cetera mittam, sollicitudo illa

nec erat inanis nec dici a choro hic potuit. Modo enim ipse Calchantis verba attulit eaque maxime perspicua, quibus probaret, manere Agamemnonem magnam quandam calamitatem, dico haec v. 148 sqq.: *μή τινας ἀντιπνόους Δαναοῖς — οἴκοις βασιλείοις.* Calchanti autem summam habebat fidem adeoque extremo hoc carmine v. 248 ipse nihil se dubitare dixit, quin eventurum esset, quod ille vaticinatus esset, *τέχναι δὲ Κάλχαντος οὐκ ἄκραντοι.* Quid, quod idem aperte ostendit in ea se sententia esse, ut Agamemnonem Iustitiae deae poenas mactatae filiae daturum esse putaret ita, ut penitus sapere inciperet, his verbis v. 249: *Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσιν μαθεῖν ἐπιῤῥέπει.* Porro idem eo uno consilio caedem illam Iphigeniae hoc carmine tam lugubriter descripsisse censeri potest, ut demonstraret, non posse committere deos, ut inultum illud scelus esset. Denique vulgata huius loci interpretatio etiam propterea ferri vix poterit, quod secundum illam ea seiungenda sunt verba, quae dubium non est quin Aeschylus coniungi voluerit, haec dico, *ἀπὸ φροντίδος.*

Contra cum e totius loci sensu, tum imprimis e v. 172 sq., *Ζῆνα δέ τις προφρόνως ἐπινίκια κλάζων τεύξεται φρενῶν τὸ πᾶν,* luculenter apparet, eiusmodi sententiam hic a choro proferri debuisse, quae scholiastae continetur interpretatione hac: *εἰ τὸ τῆς ματαιότητος ὀφείλει τις ἀποσείσασθαι τῆς γνώμης, Δία νομιζέτω.* Restituendum igitur, quod scholiastam olim legisse iam Auratus vidit, pro *μάταν μάτας* vel potius, ut visum etiam Blomfieldio est, *ματᾶν,* de quo vocabulo confer Choeph. 918 *ἀλλ' εἴφ' ὁμοίως καὶ πατρὸς τοῦ σοῦ μάτας.* Soph. fr. apud Herodian. *περὶ μονήρους λέξ.* p. 42, 23. Sensus igitur huius loci hic est: *Iovi — neminem omnium deorum parem esse invenio, si insipientiae onus ab animo amovendum omnino est, id est: hoc si agendum, ut insipientiam amoveas sive procul habeas ab animo, per neminem deorum id consequere, nisi per Iovem, praestantissimum omnium deorum.*

V. 184—205.

καὶ τόθ' ἡγεμὼν ὁ πρέσβυς νεῶν Ἀχαιϊκῶν
μάντιν οὔτινα ψέγων,
ἐμπαίοις τύχαισι συμπνέων,
εὖτ' ἀπλοίᾳ κεναγγεῖ βαρύνοντ' Ἀχαιϊκὸς λεώς,

Χαλκίδος πέραν ἔχων
παλιῤῥόχθοις ἐν Αὐλίδος τόποις·
πνοαὶ δ' ἀπὸ Στρυμόνος μολοῦσαι
κακόσχολοι, νήστιδες, δύςορμοι
βροτῶν ἆλαι, νεῶν τε καὶ πεισμάτων ἀφειδεῖς,
παλιμμήκη χρόνον τιθεῖσαι
τρίβῳ κατέξαινον ἄνθος Ἄργους.
ἐπεὶ δὲ καὶ πικροῦ
χείματος ἄλλο μῆχαρ
βριθύτερον πρόμοισι
μάντις ἔκλαγξεν προφέρων Ἄρτεμιν, ὥστε χθόνα βά-
κτροις ἐπικρούσαντας Ἀτρείδας δάκρυ μὴ κατασχεῖν,
ἄναξ δ' ὁ πρέσβυς τόδ' εἶπε φωνῶν·
βαρεῖα μὲν κὴρ τὸ μὴ πιθέσθαι,
βαρεῖα δ', εἰ τέκνον δαΐξω, etc.

Apparet, in initio huius loci relictam a choro structuram esse, quam inchoarit; desideratur enim verbum finitum, quod ad participia *ψέγων* et *συμπνέων* referendum est; nec illud obscurum, ut relinqueretur structura inchoata, eius rei hanc potissimum caussam fuisse, quod ad explicanda illa navigationis impedimenta, quae Aulide classem Graecorum remorata essent, longior parenthesis interposita erat. Sed illud non perspectum a recentioribus editoribus, quid in mente habuerit chorus addere, cum posuit participia *ψέγων* et *συμπνέων*. Neque enim, id quod opinantur, verbum *εἶπε*, v. 205 elatum, ad participia illa intelligi voluit, verum haec verba, *ὕστερον ἔψεγε καὶ οὐ συνέπνει ἐμπαίοις τύχαις*, quorum quidem verborum sensus continetur ipsis illis verbis, quae v. 205 sqq. *ἄναξ δ' ὁ πρέσβυς* etc. elata sunt. Manifestum est enim, summam totius loci, qui legitur v. 184—221, *καὶ τόθ' ἡγεμὼν — τὸ παντότολμον φρονεῖν μετέγνω*, hanc esse: **Agamemnon nihil accusans Calchantem placidoque animo calamitatem ferens, quo tempore classis Aulide maximis tempestatibus impedita est, quominus in Troadem traiiceret, postquam Calchas effatus est, quid Diana postularet, vehementer effatum eius indignatus est ac primum fluctuavit animo, utrum bello absisteret an filiam mactaret, deinde vero sociorum auctoritati cedens nefarium consilium mactandae filiae cepit.**

Magnopere enim erravit Schneidewinus, quod τότε particulam, quae v. 184 posita est, ad id tempus rettulit, quo Agamemnon Argis profectus sit. Immo e sensu totius loci clarissime apparet, spectare τότε ad εὖτε coniunctionem v. 189 referendumque esse ad illud tempus, quo Aulide versatus sit exercitus Argivorum. Item errarunt editores recentiores, quod v. 205, ἄναξ δ' ὁ πρέσβυς τόδ' εἶπε φωνῶν, contra codices omnes pro τόδε certatim scripserunt τότε, hac ab Hermanno prolata caussa: „haec verba cum aperte repetant quod v. 184 dici coeptum erat, καὶ τόθ' ἡγεμὼν ὁ πρέσβυς, non τόδε, sed τότε dici postulant.“ At tantum abest, ut hic quicquam repetatur, ut certum sit, haec verba, ἄναξ δ' ὁ πρέσβυς etc. opposita esse illis, καὶ τόθ' ἡγεμὼν etc.; quamquam enim omnia, quae a v. 184 καὶ τόθ' ἡγεμὼν etc. usque ad v. 247 τέχναι δὲ Κάλχαντος οὐκ ἄκραντοι, chorus narrat, eo tempore acciderunt, quo Aulide commorati sunt Graeci, tamen ipsius illius temporis tria illa, quae dixi, momenta eaque disiuncta urgeri vult, ut alias aliter sensisse Agamemnonem ostendat. Contineri autem apodosin membri illius, ἐπεὶ δὲ καὶ πικροῦ χείματος — δάκρυ μὴ κατασχεῖν, his verbis, ἄναξ δ' ὁ πρέσβυς τόδ' εἶπε φωνῶν, recte iam scholiasta admonuit, cum ad v. 205 adnotavit: τὸ ἑξῆς· ἐπεὶ δὲ πικροῦ — ἄναξ ὁ πρέσβυς τόδ' εἶπεν, ita ut his verbis, ἐπεὶ δὲ καὶ πικροῦ χείματος — εὖ γὰρ εἴη, secundum temporis momentum significari pateat. Contra illud profecto est quod dubitemus, profectane sit ab Aeschylo δέ particula, post ἄναξ vulgo addita.

V. 264—267.

εὐάγγελος μέν, ὥςπερ ἡ παροιμία,
ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα.
πεύσει δὲ χάρμα μεῖζον ἐλπίδος κλύειν.
Πριάμου γὰρ ᾑρήκασιν Ἀργεῖοι πόλιν.

Dicebatur a Graecis, elegantioribus puta et doctioribus, qualem se videri voluit Clytaemnestra, quae haec profert, dies esse noctis proles. Cfr. Soph. Trachin. 94 sq. ὃν αἰόλα νὺξ ἐναριζομένα τίκτει κατευνάζει τε φλογιζόμενον Ἅλιον, et huius fabulae v. 279 τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω. Item laudabatur proles similis puerperae. Cfr. Hesiod. Op. et D. v. 235 τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν, scilicet cum pietati et honestati student homines. Adde Theocr. XVII, 44. Horat. Od. IV, 5, 23 ibique interpretes. Hinc si qua nox fausta fuerat,

optabant, ut dies nocti matri similis esset. Quod cum hic optat Clytaemnestra, bene notandum est, aliud eam a choro velle intelligi, aliud ipsam in mente habere. Choro enim hoc voluit videri se optare, ut, quemadmodum noctu Troiae excidium nuntiatum esset, ita die per praeconem laetus de instante Agamemnonis reditu nuntius afferretur; poterat enim quamvis excisa Troia tamen in reditu perire exercitus Argivorum una cum rege, cuius metus se non expertem esse Clytaemnestra ait v. 341 sqq. *ἔρως δὲ μή τις πρότερον ἐμπίπτῃ στρατῷ* etc.; ipsa vero hoc optat, ut reverso Agamemnone voti sui compos fiat, id est ut consilium suum Agamemnonis occidendi bene exsequatur, ergo idem atque extulit coram ipso Agamemnone reverso v. 973: *Ζεῦ, Ζεῦ τέλειε, τὰς ἐμὰς εὐχὰς τέλει.* Addit autem membro illi, quo continetur optatum, *μέν* particulam, minime, id quod sunt qui credant interpretes, ut ei opposita sit *δέ* particula, quae v. 266 legitur, verum ea respiciens, quae se vereri fingit v. 341 sqq. Sensus enim versuum 264—267 hic est: utinam quidem (opto quidem) dies tam faustus sit, quam nox fuit! Fuit vero, ut audies, nox faustissima, supra quam sperari potuit felicem nuntium afferens. Troiam enim Argivi expugnarunt. His expositis inutile duco, refutare mira quaedam hominum doctorum de hoc loco commenta. Unum hoc addo, infinitivum *κλύειν* non, ut Schneidewino visum est, ex nomine *χάρμα* aptum esse, sed ex verbis *μεῖζον ἐλπίδος*, sive ex eo verbo, quod duobus illis continetur, hoc dico: *ἀνέλπιστον*. Sic *ἀνέλπιστον μαθεῖν* dictum est Soph. Trach. 664 aliaque plurima eiusdem generis, quae congessi ad Soph. Philoct. 830. Itaque *χάρμα μεῖζον ἐλπίδος κλύειν* est gaudium quod non speraveris te auditurum.

V. 278.

ποίου χρόνου δὲ καὶ πεπόρθηται πόλις;

Mire Schneidewinus *καί* interpretatur sic: denn nun eben. Immo brevitati studens poeta hoc dicit: scire vero etiam hoc velim, quo tempore urbs expugnata sit.

V. 330 sqq.

τοὺς δ' αὖτε νυκτίπλαγκτος ἐκ μάχης πόνος
νήστεις πρὸς ἀρίστοισιν, ὧν ἔχει πόλις,
τάσσει, πρὸς οὐδὲν ἐν μέρει τεκμήριον.

Adscripsi etiam de quibus non sum dicturus v. 40—55 propterea, quod arctissime cohaerent cum eo loco, quem vulgo nec scriptum recte nec explanatum puto. Adnotavit Hermannus ad v. 57: „A Turnebo virgula post μετοίκων posita, ut iungerentur οἰωνόθροον γόον ὀξυβόαν τῶνδε μετοίκων. Ita construxisse videtur scholiastes Sophoclis ad Oed. Col. 934: μετοίκους δὲ καλοῦμεν τοὺς ἀπὸ ἑτέρας χώρας οἰκοῦντας πρὸς τοὺς μετοικισθέντας ποθέν· τοῦτο δὲ ἔνοικον. κέχρηται δὲ καὶ Αἰσχύλος ἐπὶ τῶν οἰωνῶν ἐν Ἀγαμέμνονι λέγων οὕτω, τῶνδε μετοίκων, ἀντὶ τοῦ ἐνοίκων· μετοίκους γὰρ εἶπε τῶν ὑψηλῶν τόπων τοὺς οἰωνοὺς κἀκεῖσε ἀντὶ τῶν ἐνοίκων. Sic haec ex codice edidit Elmsleius. Eadem fere Suidas habet. Aliter paullo scholiorum editio Romana, aliter rursum Brunckiana, non tamen ut emendatus sit locus. Si τῶνδε μετοίκων iungitur cum superioribus, luctus ob amatos pullos est intelligendus. At ita τῶνδε inutile est, quoniam aut τῶν μετοίκων aut μετοίκων ponendum erat. Pauwium, qui verba illa ad sequentia referri iussit, secuti sunt recentiores editores. Scholiastes quo rettulerit, non liquet, qui scribat ὑπὲρ τῶν μετοικισθέντων νεοσσῶν. Παραβᾶσιν, quod non potest de raptoribus pullorum anguibus dictum esse, aperte refertur ad Troianos, qui Helenam rapuerint violato iure hospitii. Eodem modo ad hanc rem, non ad pullos, respexit poeta, cum paullo ante Iovem commemoravit. Itaque etiam μετοίκων de Helena dictum est, ut omnino ineptum sit τῶνδε. Scripsi τῶν δὲ μετοίκων, ut ad ὕπατος δ' ἀΐων intelligeretur verbum substantivum. Dubitari autem potest, an post ὀξυβόαν exciderit hemistichium, hac sententia, μέγα θυμοῦται. Idque confirmatur fortasse eo quod in codice M. ceterisque antiquis libris versus ita distincti sunt, γόον ὀξυβόαν | τῶνδε μετοίκων ὑστερόποινον."

At primum certum est, nullo pacto ἀΐων pro ἀΐει, quae Hermanni sententia est, dicere Aeschylum potuisse, id quod ipse videtur sensisse Hermannus, ita ut hemistichium excidisse in eoque positum verbum finitum esse suspicaretur. Ergo hoc quidem dubitari nequit, quin unum sit huius loci verbum finitum, πέμπει, cui additum sit participium, ἀΐων, participii sensu positum, nulloque pacto ὅδε pronomen ex hoc loco exturbandum sit. Nihilominus hoc quidem manifestum est, nomini μετοίκων, id quod recte vidit Hermannus, non potuisse adiungi τῶνδε pronomen. Unde quid certius concludi potest, quam lenissima mutatione scribendum esse:

γόον ὀξυβόαν τόνδε μετοίκων
ὑστερόποινον etc.

Itaque ἀΐων — οἰωνόθροον γόον ὀξυβόαν τόνδε μετοίκων hoc sensu dictum est: audiens acutum hunc clamorem inquilinarum avium, i. e. vulturum, quibus pulli erepti sunt. Dicuntur enim vultures μέτοικοι τοῦ οὐρανοῦ (vocabulo enim ὕπατος subesse coeli notionem patet), inquilini coeli, quod in aethere potissimum versantur et similiter in tutela deorum putantur esse atque homines in tutela sint eius civitatis, cuius μέτοικοι esse dicuntur. Cfr. Soph. Oed. Col. 934 εἰ μὴ μέτοικος τῆςδε τῆς χώρας θέλεις εἶναι βίᾳ τε κοὐχ ἑκών et de hoc significatu vocabuli μέτοικος Valcken. ad Ammon. p. 110 et Wolf. ad Demosthen. Lept. p. LXVII sqq. Deinde recte quidem admonuit Hermannus, παραβᾶσιν non ad bestias, quae pullos abstulerint, sed ad homines referri debere, at, quod ipse censuit, ad Troianos id spectare, qui Helenam rapuerint violato iure hospitii, probari non posse, inde apparet, quod poeta, cum v. 60 sic pergat, οὕτω δ' Ἀτρέως παῖδας ὁ κρείσσων ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ πέμπει etc., luculenter ostendit, se verbis proxime praecedentibus, v. 50—59 οἵτ' ἐκπατίοις — Ἐρινύν, de solis vulturibus locutum esse. Itaque patet, παραβάντες dici homines illos, qui vultures pullis spoliarint, ἀγρόται dictos ab Homero Od. XVI, 216 sq.: κλαῖον δὲ λιγέως, ἀδινώτερον ἤ τ' οἰωνοί, φῆναι ἢ αἰγυπιοὶ γαμψώνυχες, οἷσίτε τέκνα ἀγρόται ἐξείλοντο, πάρος πετεηνὰ γενέσθαι.

V. 104 sq.

κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν ἐντελέων.

